DE SCIRRHO VENTRICULI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE
SIBI CONCEDANTUR
DIE IX. FEBRUARII M. A. MDCCCXXVII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
GEORG. FRID. HENR. KLAPROTH
SAXO-GOTHANUS.

OPPONENTIBUS:
E. GABLER, MED. DD.
L. NISLE, MED. DD.
E. HARTUNG, MED. CAND.

CUM DUABUS TABULIS LITHOGRAPHICIS.

BEROLINI,
FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

PERILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO,

EXPERIENTISSIMO

CHR. G. HUFELAND,

MEDICINAE DOCTORI ET PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS REI PUBLICAE, MINISTERII SUPREMI, QUOD INSTITUTIONI, REBUS ECCLESIASTICIS ET MEDICIS PRAEEST, SOCIO, REGIS POTENTISSIMI ARCHIATRO, ACADEMIAE REGIAE MEDICO-CHIRURGICAE MILITARIS, INSTITUTI POLICLINICI UNIVERSITATIS, COLLEGII, EXAMINANDIS MEDICIS CONSTITUTI, NEC MINUS NOSOCOMII CARITATIS DIRECTORI, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN CLASSE SECUNDA EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

PATRONO AC FAUTORI

AD CINERES USQUE COLENDO

OB

MAXIMA BENEVOLENTIAE ET HUMANITATIS

DOCUMENTA

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS

GRATA PIAQUE MENTE

CONSECRAT

AUCTOR.

Praefatio.

Si verum est, quod nemo scriptorum tam antiquioris quam recentioris temporis inficiatur, singulis scientiae cuiusdam capitibus curatius pertractatis, optime totam amplificari scientiam, prae primis hoc ad patulam medicinae aream referendum mihi videtur; singulis enim meditando et observando ad summum, quem attingere possunt gradum, evectis, totum et absolutum condatur, necesse est. Haecce me compulerunt, ut libellum hunc, quem antiqua et pulchra consuetudo conscribi iubet, descriptioni rei singularis, infesti quidem corporis humani hostis, scirrhi ventriculi, dicarem. Plures inter huiusmodi morbos, a me observatos, hic, quem elegi, aptissimus mihi videtur, ut in libello pertractetur, quippe quem a primordiis et incrementis ad summum gradum accurate observavi et a visis repertis argumenta

certa desumsi. Morbum omni diligentia exposui, quoad angustiores huius opusculi cancelli patiuntur lectoremque benevolum rogo, ut libellum observationibus, hac de re iam traditis, interserat, et, quae vituperanda sint, indulgens recipiat.

De scirrho ventriculi.

Ventriculus, saccus membranaceus, multis vasis nervisque instructus, centrum vitae vegetativae organismi animalis exhibet, etenim functione eius suspensa, nutritio nec perfectius, nec diutius perfici potest. Per nervorum copiam, quippe quos tam a systemate cerebrali, quam ganglioso recipit, cum toto fere organismo consensum alit, quod pathologia prope quotidie confirmat, siquidem haud raro morbi partium remotissimarum ventriculum consensu afficiunt. Praeterea ventriculus, ut via primaria, qua nutrimenta ad instaurationem et medicamenta ad sanitatem recuperandam corpori advehuntur, tot iniuriis obnoxius est, ut mirari non oporteat, si morbos eius diversissimos oriri videamus, inter quos scirrhus ventriculi certo periculosissimis, tam medico quam aegroto teterrimis, adnumerandus est. Prout scirrhus vel cardiam, vel pylorum, vel

parietes ventriculi obsidet, vario modo sese manifestat.

In hoc opusculo id operam dabo, ut diagnosin scirrhi ventriculi generatim, dein trium eius specierum singulatim exponam, novissime aetiologiam, prognosin ac therapiam breviter indicem.

Prima scirrhi incipientis indicia plerumque ignorantur, vel minoris aestimantur, quam par est, quum aegroto, periculi imminentis ignaro, nimis exilia videantur, ventriculoque debilitato, vel sordibus onerato adscribantur. Imo medicus, etiamsi mature ad aegrotum arcessitus, facile decipitur, quum scirrhi symptomata in diversissimis ventriculi morbis observentur. Signa referuntur haec: ingrata quaedam sensatio in praecordiis, potissimum ieiuno ventriculo; serius ocius, vel mensibus aliquot, vel annis elapsis, eodem loco sensus infestus fere habitualis dolorque obtusus, inprimis post pastum, exoritur; in ventriculo totoque tubo intestinali multum aëris, praesertim assumtis cibis ac potibus gravioribus, dyspepticis, ad acescentiam aut fermentationem opportunis, evolvitur, quo ventriculus et abdomen fere semper tumescunt atque tenduntur; dolores colici et borborygmi incidunt, interdum non prius cedentes, quam ructus modo saporis odorisque expers, modo acidus aut foetidus, cum profluvio aquae

multae ex ore successerit. Haec signa, quae horas aliquot post coenam oriuntur et ructu profluvioque aquae ex ore, interdum vomitione nutrimentorum parum digestorum finiuntur, paulatim frequentius graviusque revertunt, aegrotoque summum incutiunt angorem; ventriculi dolores, nunc acerbiores, ad scapulas dorsumque porriguntur, sub quibus aegroti languorem et laxitatem artuum, pertinacem alvi obstructionem conqueruntur et hypochondriacorum animi mutabilitatem expromunt. Etiamnum periodi quandoque incidunt, tam aegrum quam medicum simulata valetudinis specie eludentes, siquidem omnia symptomata non modo per dies, imo adeo per hebdomades intermittunt. Tum vero insultus, praesertim diaetae vitiis gravioribus, aut animi pathematibus praegressis, aucta cum violentia redire, aegrotumque securitate derepente excutere consueverunt. Procedente morbo primario symptomatum non solum intensitas, verum etiam ambitus increscere solet; vomitus, antea per intervalla exortus, nunc summis cum doloribus et contentionibus quemque ciborum, initio modo solidorum, postea quoque fluidorum, imo mitissimorum, haustum sequitur, serius ocius accedens, prout locus ventriculi affectus discrepat; materia eiecta, in qua ineunte morbo cibi assumti evidenter distinguuntur, serius fusca evadit, spumosa, acida, acris, foetida faucibusque excoriatio-

nis sensum relinquit. Alvina excretio cohibita, interdum praeter normam adaucta, ciborum appetentia per intervalla haud abnormis, urina parca, fusco-rubra est.

Manifesta digestionis labe nutritio disturbatur, corpus macrescit, vires magis prosternuntur, somnus irrequietus anxiis somniis interpellatur; cutis arida, quandoque tactu membranacea, respiratio parum mutata, pulsus frequentior minorque solito, pedes inprimis circa malleolos oedematibus obsessi. Facies quoque aegroti indubitata morbi vestigia offert, etenim e lurido flavescit, ossa zygomatica insignius prominent, oculi multum splendoris deperdunt, ut paucis dicam, aeger faciem exhibet abdominalem, quam Galli face grippée *) vocant. Quodsi externa exploratio curatius instituitur, nonnunquam, minime semper, induratio ventriculi modo dolorifica, modo doloris expers, per ventris integumenta luculenter sentitur. Quibusdam in casibus ventriculi scirrhus in carcinoma abit, quod dolore continuo rodente, lancinante, corrosivo ventriculi, celeri febris hecticae omniumque symptomatum incremento, interdum hydrope ascite, his superveniente, nuntiatur et mors maturior summos aegroti cruciatus solvit.

---

*) Dictionnaire des sciences médicales. Tom. III. S. 620.

Sin transitus in carcinoma non evenit, decursus tardior est, oedema pedum magis expanditur, saepissime ascites accedit, respiratio anxia et difficilis apparet aegerque novissime, ad sceleti macilentiam redactus, nonnunquam citra febrem hecticam graviorem, vera virium exinanitione diem supremum obit. Quae ventriculi pars scirrho potissimum laboret, ante mortem difficile est dictu, interdum dirimi plane nequit, quod mirum videri non oportet, quum partim criteria diversarum specierum scirrhi ventriculi maxime ambigua et inconstantia sint, partim praesentia mali, etiamsi a loco, quem occupavit, discesseris, vivente aegroto saepe nostram cognitionem praeterfugiat.

Signa, in tribus scirrhi ventriculi speciebus frequentissime observata, haec sunt:

Scirrhus cardiae.

Aeger dolores a regione ostii oesophagei ordiri indeque ad dorsum digredi tradit, sub quibus inter deglutitionem ciborum solidorum, postea quoque liquidorum, impedimentum inexpugnabile hac in regione sentit. Cibi igitur, quominus per cardiam eant impediti, statim post deglutitionem crudi, interdum muco intermixti, vomitu, vel sola vomituritione, aut singultu in os regurgitantur, quin ventriculum intraverint; nonnisi ineunte

malo, ubi transitus per cardiam adhuc conceditur, vomitus post primam alteramve horam incidit, cibique paululum mutati inveniuntur. Impedimentum illud efficit, ut oesophagus quandoque in diverticulum dilatetur, quod cor pulmonesque comprimendo, angorem ineffabilem excitare valet. Aegroti per intervalla muci, salivae haud absimilis, portiunculas edunt, alvus utplurimum obstipata, interdum tamen, praesertim inter initia, obstructio et lienteria vicissim se excipiunt; quandoque etiam exploratione accuratius instituta, scirrhus cardiae per integumenta ventris tangitur.

Scirrhus pylori.

Sedes tumoris indurati in dextro latere epigastrii, dolores hanc regionem occupantes, borborygmi frequentes abdominis, sensationem moventes, ac si animal vivum in ventriculum irreptet, ructus multi, acidi, acres, rancidi, vomitio ciborum paulo magis digestorum, quae tres, quatuor, aut quinque horas post pastum incidit, color fuscus coffeae similis eiectorum, tenacissima alvi obstructio, siquidem rarissime globuli parvi, duri, aridi nonnunquam muco obducti secedunt, eius praesentiam suspicari iubent. Ostio pylorico plane obturato, ventriculus interdum enormem assequitur magnitudinem, quo in casu vomitus saepe

post decimam, vel duodecimam horam a pastu exoritur, verum copiosissimus est; deglutitio etiam absque difficultate succedit. Inter tres scirrhi ventriculi species haec creberrime est observata.

Scirrhus parietum ventriculi, seu ventriculi centralis.

Omnium rarissime occurrit. Vomitio ciborum assumtorum modo inter exordia morbi observatur, generatim inconstantissima est; alvi etiam obstipatio modo sub mali initiis exstare solet, procedente tempore saepissime cum alvi fluxu lienterico alternat, quo materiae foetentes, spumosae, atrae excernuntur. Reliqua scirrhi ventriculi symptomata semper maiori minorive cum intensitate adsunt.

Exitus scirrhi ventriculi.

Rarissimus est in sanitatem perfectam; frequentissimus in mortem, quae serius ocius vario modo irruere potest. Subito oriri solet rupturis et apoplexia, plerumque vero aegri fame conficiuntur, vel tabe et hydrope intereunt.

Sectio cadaveris.

Degenerationes diversissimae in ventriculo post mortem sunt repertae: tumores salebrosi

plus minusve solidi, adhaesiones et quasi conglutinationes cum vicinis partibus, saepe massam iis homogeneam referentes; perforatio ventriculi et effusio putridae, fuscae materiei in cavum abdominis, aëre foetido valde expansi; cardia, vel parietibus ventriculi degeneratis, cavitas ventriculi admodum coarctata apparet, ita ut eius capacitas ad minimum sit redacta; e contrario ventriculus nonnunquam maxime dilatatus est inventus, siquidem pylorus scirrho erat affectus; interdum quoque diverticula ventriculi hac in regione observata sunt. Ambitus partis degeneratae varius est, modo numismatis parvi exhibens magnitudinem, modo totum ventriculum fere obsidens, utplurimum tantum volae manus magnitudinem aequans. Membranae ventriculi saepe crassitie duorum triumve pollicum indutae occurrunt, earum superficies inaequalis, tuberosa invenitur. Porro circa internam scirrhi superficiem ulcera carcinomatosa sunt reperta, cum marginibus crassis, duris ac reflexis, quorum fundus per multa ostiola plurimum ichoris secernit, vel ex quo fungosae, albicantes, aut griseae excrescentiae proveniunt. Vasa sanguifera, scirrho finitima, eius pressione saepe mirum in modum expansa animadvertuntur.

Aetiologia.

Quamquam maioribus scirrhus atque cancer

iam innotuerant, attamen inde a vetustissimo tempore sententiae quam diversissimae de eorum indole viguerunt. In nniversum antiquiores et recentiores medici plus minusve consentiunt, scirrhum tantum in partibus glandulosis gigni tumoremque durum, frigidum, doloris sensusque expertem, inaequalem, saepius mobilem, cuti concolorem referre, omnibusque iis originem debere, quae latices in glandulis secretos coagulando, inspissando, exsiccando, illarum sinus impermeabiles reddant. His alii insignem opportunitatem adiiciunt, in carcinoma abeundi. Haec definitio non sufficit, siquidem non solae glandulae, uti iam Richter *) monuit, scirrhi sedem continent, verum aliae etiam partes, nihil glandulosi habentes, in scirrhum vertuntur, vice versa autem tumores glandulosi satis duri existunt, nunquam scirrhosam naturam concipientes; nec scirrhus semper tumori ac duritiei nuptus est, sed pars scirrho affecta interdum minuitur, corrugatur, parumque duritiei exhibet. Neque opportunitas in carcinoma abeundi pathognomonicum scirrhi signum sistit, quum non prius cognoscatur, quam evolvatur et carcinoma in luce ponat, imo ne

---

*) A. G. Richter. Anfangsgründe der Wundarzneikunst. B. I. §. 423. Frankenthal 1788.

semper quidem evolvi soleat. Iudice Dzondi *) huius vitii natura in dyscrasia universa satisque vehemente scrophulosa consistit, quae, causa qualicunque in oragnismo maturiori exorta, instar parasiti inflammatorii singularis indolis, localis apparet et iuxta inflammationis leges decurrit. At neque semper homines scrophulosos obsidet scirrhus, neque decursum pariter certum ac inflammatio absolvit. Scirrhum in glandulis residentem indurationemque alias partes occupantem non eundem morbum sistere et discrimen modo in eo esse, quod partium tela vitaque differant, uti Wenzel **) contendit, de Walther ***) prolixe diserteque exposuit; in induratione degeneratio, inquit, substantiae organicae eundem semper gradum tenet, stationaria fit, quippe quae productum causae non amplius agentis, sed sublatae, nempe exsudationis inflammatoriae est, quae cum inflammatione sub quodam eius gradu et quadam modificatione incidit cumque ea desiit. Exsudatum magis minusve organisatum, cum substantia organi coaluit saepeque massam ei analogam reprae-

*) Dzondi Lehrbuch der Chirurgie §. 255- Halle 1824.

**) Carl Wenzel über die Induration und das Geschwür in indurirten Theilen. Mainz 1815. S. 60.

***) Journal der Chirurgie u. Augenheilkunde von v. Graefe u. v. Walther. B. V. H. 2. Berl. 1823.

sentat, diversissimas eius telas, ut nervos, vasa textumque cellularem adeo conglutinat, ut primitiva eorum natura non amplius cognoscatur. His vero processus formationis morbosae finitur, quies et inertia indurationis criteria sunt.

Alia vero scirrhi ratio est, verus enim scirrhus est productum causae morbificae continentis, vis formatricis morbosae, dyscrasiae specificae, quae nequaquam decursum tam ephemerum, certo dierum hebdomadumve numero adstrictum absolvit, quam processus inflammatorius. Morbus potius est chronicus semelque exortus evolutionis atque efformationis provectioris rationem in se continet. Numerus sententiarum de scirrhi indole proditarum tantus est, ut omnes recensere nequeam, quamobrem unam adiecisse sufficiat, quam celerrimus Kluge defendit. Scirrhus inquit, pseudoorganisationibus adnumerandus est, quo nomine aberrationes singulares typi formativi in organis minoris dignitatis, in tela cellulosa et tunicis, significat, ita ut passim materia animalis deposita, dum a crystallisatione ad organisationem pergit, focum vitae proprium obtineat, cuius ope organismi singularis indolem nanciscitur, evolvitur, vitamque suam degit, nihilominus autem organismo toti, ratione nutritionis, parasiti instar adhaeret, quippe in quo radices quidem, ut lichenes in arbore agit, nunquam vero eam adipisci-

tur perfectionem, ut ab universo organismo divelli ac per se subsistere queat. Huc refert: 1, pseudoorganisationes cutaneas, ut verrucam, myrmeciam, condyloma; 2, carneas ut sarcoma, polypum; 3, cartilagineas easque pessimas maximeque deleterias, quae ob duritiem singularem scirrhus, sclerus, scirrhoma vocantur, quae cum e mediis glandulis conglomeratis progerminent, in tela cellulosa inter acinos harum glandularum disposita radices agere videntur. Genesis eorum densis adhuc tenebris obfuscatur, attamen a syndrome trium momentorum pendere videtur: 1, a decremento vitae; 2, initio decompositionis materiarum; 3, irritatione inflammatoria.

Decursus scirrhi duo emetitur stadia: 1, stadium primum, locale, scirrhosum, in quo affectio mere topica absque dyscrasia exstat et ab initio inde vitium insons — scirrhum benignum —, postea funestum — scirrhum malignum — exhibet. Scirrhus benignus nodus strictis limitibus circumscriptus, obrotundus, planus, duritie lapidea instructus, mobilis, doloris expers est, cutis color nihil mutatur. Qui si ab externis insultibus defenditur nullaque dyscrasia subest aegroto, per totam saepe vitam illam indolem tenet. In suppurationem nunquam abire, verum interdum emori, imo suppuratione partium finitimarum excuti potest. Scirrhus malignus s. cancer occultus

celeriter magnitudinem duritiemque concipit, superficies inaequalis, salebrosa fit et cum vicinis partibus concrescit; pruritus, formicatio ictusque oriuntur dum superficies livida, subflava, subfusca, coerulea evadit, varices enascuntur cutisque fuscum colorem induta, defurfuratur, sanies gignitur, quibus praegressis succedit:

2, stadium secundum, universale, carcinomatosum, Sanies perfodit parietes, partes vicinas erodit, resorpta universam humorum corruptelam inducit, scirrhos secundarios excitat febreque hectica et colliquationibus aeger consumitur.

Haec de sede genesique scirrhi sententia facile ad scirrhum ventriculi applicatur, qui potissimum tunicae mucosae insidet causisque his, quae in praedisponentes et occasionales dispescuntur, originem debet. Praedisponentes sunt: aetas provectior, sexus potior, temperamentum cholerico-melancholicum et vita deses, attamen tres istae causae semper adsint non necesse est, siquidem nonnunquam iuniores, mulieres et alius temperamenti homines, aliud vitae genus agentes, corripiuntur.

Causae occasionales: ictus vehementes, lapsus, pressio, nimia constrictio et continua ventris imi compressio, cibi et potus nimis frigidi calidive, imprimis haustus glaciei aestuante corpore; abusus nutrimentorum farinosorum, non fermen-

tatorum, ut pisorum, lenticularum, fabarum, fructuum solani tuberosi, placentae pinguioris; prae omnibus abusus potuum calidorum, relaxantium, vel adstringentium et spirituosorum v. c. spiritus frumentacei; emetica et purgantia valentiora, saepius iterata, vina adulterata, venena aut medicamenta acria, evacuationes immodicae ac debilitantes, vel retentiones earum v. g. haemorrhoidum, menstruorum; morbi praegressi, praecipue cardialgia, metastases psoricae, rheumaticae, arthriticae, scrophulosae et syphiliticae ad ventriculum; habitatio in regionibus humidis, paludosis; animi affectus deprimentes, ut moeror, sollicitudo, curae, amor infelix, nutrimentorum penuria etc.

Prognosis.

In universum praedictio pessima est, pauca enim exstant, quae paulo meliora praesagiri patiuntur. Prosperrimum scilicet dici potest, si tam aeger quam medicus morbi primordia internoscit, si causae remotae prorsus exstingui possunt, aeger non aliis affectionibus laborat, viribus integris pollet medicique praeceptis ex toto obtemperat. Minus spei affulget, si aeger, quod facillime saepissimeque fit, morbi initia vel ignorat, vel negligit, si causae efficientes, ut vita sedentaria, affectus animi deprimentes, magna irascendi et stoma-

chandi opportunitas, quaedam vitae periodi, dyscrasiae etc. nullo pacto submoveri queunt. Quodsi parasitum adesse indubitatis signis evictum est, teste experientia prognosin semper pessimam promulgare oportet. Teterrimi ominis, mortisque imminentis indicia sunt, quae scirrhum in cancrum genuinum transiisse probant, si macilentia ingens, febris hectica vehemens, hydrops et colliquationes superveniunt.

Therapia.

Primum est, ut medicus causas remotas sciscitetur et, quantum potest, compescat. Aegroti vitam desidem agentes ventremque comprimentes, frequentiori corporis exercitationi indulgere omnique ventris compressione abstinere jubeantur. Qui regionem humidam paludosam incolunt, ea derelicta siccum purumque aërem petant. Metastases, si quae sunt, arthriticae, rheumaticae, psoricae, scrophulosae atque syphiliticae remediis derivantibus ad morbum primitivum agentibus devincantur, v. g. metastases arthriticae efficacissimis antarthriticis, tam internis quam externis, cum derivantibus iunctis, v. c. vesicatoriis epigastrio impositis curentur. Profluvia sanguinis habitualia suppressa, inprimis fluxus menstrualis et haemorrhoidalis, vel restituantur, vel sanguinis detractio-

nibus localibus, raro universalibus, compensentur. Prae omnibus aeger diaetae congruae sese tradat, nutrimenta levia, liquida, quam minimum irritantia et calefacientia hauriat, ut iuscula carnis vitulinae aut gallinaceae, mucilaginem sago, salep, hordei, avenae, vitellum ovi, inprimis lac recens. Pro potu aqua selterana, aut ptisanae cum lacte optime respondent; abusus potuum tepidorum, relaxantium, adstringentium, aut spirituosorum, ut theae, coffeae, vini et spiritus frumentacei diligentissime vitetur, neque minus ab animi affectibus, ut ira et stomacho, meditationibus nimiis et lucubrationibus, abstineatur. Causis nulli remedio cedentibus, malove his submotis persistente, medelae directae ad causam morbi proximam spectanti locus est, quae in demulcenda et sopienda sensibilitate adaucta nervorum ventriculi efficiendaque resorptione productorum morbosorum cernitur. Quod primum attinet, diaeta blanda et liquida, remedia mucilaginosa, narcotica, aqua laurocerasi, extractum hyoscyami, acidum carbonicum in potione Riveri, aut pulvere aërophoro Vogleri, contrastimulantia, ut vesicatoria epigastricae regioni imponenda, aut, si summis angustiis aeger premitur, moxa et suppuratio, plures per hebdomades alenda, commendanda sunt. Perill. Hufeland exemplum enarravit, quo vomitus nulli remedio nisi moxae et suppurationi insecutae cederet. Sa-

natio scirrhi ipsius ventriculi perinde ac aliorum morborum organicorum maximis premitur difficultatibus; nihilo secius systematis lymphatici actionem augendo productorum morbosorum resorptionem experiri oportet. Remediis huc pertinentibus mercurius palmam praeripit, qui contra scirrhum ventriculi modo extrinsecus in unguento administrari potest, quum internus eius usus irritamenti gratia vomitum exaugeat; eadem de antimonii praeparatis dicenda sunt. Saluberrima sese praestiterunt resolventia narcotica, quippe quae, si morbum non radicitus sanarent, molestias ingentes demulserunt, quorum praecipua sunt Cicuta, Belladonna, acidum zooticum. Eorum emolumentum illud est, quod principio narcotico vomitus sedatur eorumque efficaciae incitanti in systema lymphaticum nihil impedimenti obiicitur. Commodissime extractum Cicutae aut Belladonnae in aqua laurocerasi solutum guttatim, auctis paulatim dosibus, administratur; extrinsecus ad iuvandam medelam emplastrum Cicutae cum emplastri mercurialis partibus aequalibus mixtum, regioni epigastricae imponi potest. Utilissima etiam balnea, cum herba Cicutae parata, esse consueverunt. Quodsi morbus tantum obtinuit gradum, ut nulla valetudinis spes affulgeat, medici est, atrocissima morbi symptomata, quantum licet, demulcere aegrotique vitam servare. Aegrotus balneis nutrien-

tibus e maltho lacteque, clysmatibus roborantibus e lacte, iusculo carnis et vitello ovorum nutriatur, alvus laxetur ventrisque dolores enematibus emollientibus antispasmodicis, interdum autem leviter incitantibus sopiantur. Auxilum ultimum gravissimumque, sicut in aliis morbis chronicis, ab Opio petendum est, quippe quod anodynum somniferumque efficacissimum est; attamen vis eius salutaris magna ex parte eo perit, quod alvi obstipationem inducit.

Recentiori aevo medicus Gallus, Bénech, *) novam ventriculi scirrhum sanandi methodum divulgavit. Haec methodus in eo cernitur, quod omnia nutrimenta aegrotis subducuntur, quies in lectulo imperatur, hirudines aliquot contra dolores acerbiores et corrosivos regionis epigastricae adhibentur, cataplasmata emollientia ventri imponuntur, cyathi aliquot aquae fontanae cum lacte porriguntur, clysmata e materiis nutrientibus et aqua nec non balnea vaporosa administrantur, quorum

---

*) Bénech über den Magenkrebs und eine neue Behandlung desselben übersetzt in: Neue Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche praktischer Aerzte IX B. St. XI. Leipz. 1826 aus dessen Schrift: Traité des cancers de l'estomac ou l'on a émis des idées plus physiologiques sur cette maladie et basé son nouveau traitement sur des faits qui prouvent sa supériorité sur l'ancien- Paris 1824.

ultima ad exstinguendam sitim saepe intolerabilem inserviunt. Octo aegrotos ventriculi scirrho obnoxios commemorat, quorum sex a se prorsus esse sanatos, reliquos exitium suum eo induxisse tradit, quod recuperata valetudine iis iniuriis denuo se submiserint, ut malum aucta cum atrocitate recrudesceret mortemque tandem afferret. Etiamsi haec methodus non semper integrae valetudinis reditum polliceatur, multum tamen probabilitatis ei inest, quum non alia unquam medendi methodus intimum organismum ita subigat, tantasque eius devastationes devincat, quam inedia. Huc accedit, quod nutrimenta ab aegrotis hausta serius ocius vomitu eiiciuntur itaque nutritionem admodum imperfectam largiuntur vomituque saepius redeunte ventriculus magis magisque offenditur. Ceteroquin quum nullum adhuc remedium exstet, quod scirrhum ventriculi radicitus evertere valeat, usus methodi supra dictae eo magis defenditur.

Historia morbi.

Augustus Blessz, sutor, quinquaginta quatuor annos natus, corporis habitu marcido, statura pusilla, si morbos excipimus infantiles, usque ad vicesimum secundum aetatis annum secunda semper gavisus est valetudine. Dein vero vitia digestionis animique turbae apparuerunt et prima hypochondriae vestigia in conspectum prodierunt. Augescentem animi morositatem, anorexiam, saporem amarum, tumescentiam praecordiorum, solidis alimentis assumtis, aegrotus bilis accumulationi in ventriculo imputavit et ab emeticis, quorum dosin duplo imo triplo adauxit, auxilium petiit, saneque per breve tempus levamen sensit. Vicesimo sexto vitae anno uxorem duxit novemque liberos genuit, quos, quum celerrime, alter alterum se exciperent, modo assiduis laboribus sustentare valuit. Vitam desidem prono corpore degere coactus, aeger aliquanto post non amplius erectus deambulare potuit senique decrepito, lumina iam in terram defigenti, similis incessit. Insimul morbus abdominalis sese manifestavit: regionis sacrae dolores, haemorrhoides caecae, alvus modo adstricta, modo fusa, abdomen semper tensum, regionis epigastricae oppressio, vomituritiones, ructus fre-

quentes vomitioque parum digestorum mox excipiens assumtionem solidorum, apparebant, ita ut aegrotus nil nisi theam, coffeam et iuscula haurire posset; hypochondriasis iamiam luculenter exculta animadvertebatur. Praeterea aegrotus inter annum aetatis quadragesimum atque quinquagesimum bis pneumonia, semel angina se laborasse affirmat. Quum aeger curationi rationali se non submitteret, medicamentis tantum domesticis uteretur, causaeque permanerent, morbus magis magisque exasperabatur, ita ut aegrotus crescente debilitate non amplius negotia obire posset et ob graves variasque molestias medicorum auxilium implorare cogeretur; idcirco ad Policlinicum regium Universitatis litterariae confugit, ubi die octavo m. Augusti anni millesimi octingentesimi vicesimi tertie curandus mihi traditus est.

Symptomata observavi haec: aeger magna infirmitate confectus, maiorem diei partem in lectulo degebat; temperamentum eius, prius cholericum, melancholico nuptum apparebat; color faciei, nec non tunicae coniunctivae bulbi flavus erat, oculi subsidebant, universum corpus macie consumtum, abdomen tumidum, tensum et dolorificum; regionem hepatis et ventriculi explorans indurationem sensi; appetitus ciborum modo exiguus modo adauctus, sitis modica, lingua pura, sapor non depravatus, ructus frequentes, acidi,

sumtis alimentis fluidis — solida enim aeger pluribus abhinc annis sine incommodo maximo haurire non poterat — vel vomitus parum digestorum, vel lienteria, quibus tamen dolores vehementes, usum esculentorum ac potulentorum excipientes, profligabantur. Porro modo pertinax alvi obstructio, modo deiectio colliquativa materiei mucosae interdum sanguinolentae, imo adeo male digestae; urina parca, turbida, fusca cum sedimento albo; respiratio brevis, anxia, cita; pulsus parvus et frequens; cutis semper gelida, rigida et sicca; artuum inferiorum oedema, somnus inquietus, somniis terrificis interceptus, non prius accedens, quam si aeger supinus, capite humillimo, quod mirum, recumberet. Animus aegroti moestus de salute recuperanda prorsus desperabat.

Ex symptomatibus supra relatis malum abdominale organicum atque inveteratum clare perspici, nequaquam vero eius sedes cum evidentia stabiliri poterat, quum signa variorum malorum mixta valdeque diversa essent. Morbus mihi in hepatis obstructione cum vitio organico ventriculi ponendus videbatur; num vero cardiae, an pylori, utrum parietum ventriculi scirrhus esset, distincte explorare non potui, quum neque doloris sedes, regionem epigastricam et hypochondriacam dextram occupantis, neque exploratio externa, neque vomitus, alimentis sumtis modo citius modo

serius irruens, modo deficiens, mihi sat lucis afferrent. Persuadere mihi non potui, morbum ab initio ventriculi idiopathicum fuisse, quippe qui, causis permanentibus, haudquaquam per triginta annos protrahi potuerit.

Quod causas attinet dispositio ad hoc malum haud dubie a vita sedentaria perpetua, prono corpore, est repetenda, qua et ventriculus et hepar frequenti submittebatur compressioni, quod partim eius opificium ita ferebat, partim prava assuetudo, corpore antrorsum et dextrorsum inflexo, ambulandi. Huc plures causae occasionales accesserunt ad fundamenta tam diri morbi iacienda: v. c. temperamentum cholericum, ad iram opportunissimum, sollicitudo perpetua ac rei domesticae cura, abusus emeticorum, eorumque nimiorum, excessus in potu theae et coffeae tepidae, congestiones haemorrhoidales. Causa vulgatissima atque inimicissima — abusus spirituosorum — nostro in exemplo desiderabatur, quum aegrotus per totam vitam parum, vel nihil vini, aut spiritus frumentacei hauserit. De inflammatione hepatis aut ventriculi praegressa certi quidquam explorare non potui, licet illius non exigua suspicio mihi obtrudebatur.

De causa scirrhi ventriculi proxima quid sentiam, in descriptione scirrhi generali iam proposui.

Prognosis pessima erat auguranda, quum una-

nimi consensu medicorum peritissimorum, scirrho ventriculi evidenter cognito, de salute aegri recuperanda plane desperandum sit praetereaque morbus iam diutius perstitisset et febris hectica exquisita appareret.

Quum igitur cura radicalis institui non posset, hae medendi indicationes tantum persequendae erant: ut symptomata morbi gravissima periculosissimaque mitigarentur aegrique vires apte sustinerentur. Medela igitur secundum symptomata maxime perspicua admodum differret, necesse erat, quam ob rem aegrotoque ob vomitum continuum, gastrodyniam et alvi pertinacem obstructionem modo remedia antemetica, anodyna et alvum solventia imperavi, e quibus haustum antemeticum Riveri, cum aqua laurocerasi et extracto hyoscyami iunctum, ad sedes promovendas, intus oleum ricini, extrinsecus clysmata emollientia leniterque incitantia ex infuso florum chamomillae, ptisana, oleo lini et saponis solutione, elegi; modo propter lienteriam remedia leviter retinentia, anodynis iam dictis nupta, scil. mulaginosa cum amaricantibus et leniter adstringentibus medicaminibus v. g. decoctum corticis cascarillae, aut columbo, cum radice althaeae, aut mucilagine gummi arabici, clysmata ex amylo cum opio parata, unguentum althaeae et opii abdomini infricandum. Quod attinet regimen diaeteticum, aegro

iuscula carnis elixae tenuia, sago, salep, avenae decorticatae, pro potu ordinario aquam vitello ovorum mixtam et pauxillum vini praecepi. Hac medendi methodo, quam ab initio m. Augusti usque ad medium Decembrem persecutus sum, aegroto miserrimo quidem aliquid levaminis conciliare, minime vero increscenti malo aliquantulum occurrere mihi licuit. Febris hectica, sensim sensimque augescens, perseverabat, aegroti vires in dies magis labefiebant, summa macies accedebat, oedema antea pedes modo occupans, usque ad femora porrigebatur, imo hydrops ascites superveniebat, urina parca, turbida et fusco-rubra cum multo sedimento modo albo, modo lateritio apparebat; cardialgia, prius magis periodica, die noctuque aegrum vexabat doloresque vehementiores et corrodentes concitabat; somnus inquietus angorisque plenus; materiae, vomitu dolorifico eiectae, foetidae erant, rancidae, acres et colore fusco, alvus tenaciter adstricta, sitis excrucians, appetitus ciborum nullus, lingua pura et rubra. Ex indole materiei, per vomitum reiectae, continuis doloribus corrodentibus regionis epigastricae, febre hectica ingravescente, emaciatione et ascite associato, certum ratiocinium duxi, scirrhum ventriculi in ulcus carcinomatosum abiisse mortemque aegroti diris calamitatibus terminum esse impositiuram. Loco dolorifico aliquot hirudines applicari, fomenta ano-

dyna ex herba hyoscyami et floribus chamomillae administrari unctionesque dictas ex opio continuari iussi. Remediis mucilagineis et anodynis intus adhibitis levia diuretica adiunxi propter diminutam urinae secretionem atque hydropem asciten, celerrime increscentem. Inter haec succus recens expressus armoraciae cum melle despumato, ab ipso aegro petitus, diureticum efficacissimum sese praestitit, quippe cuius usum mictus tam frequentior quam copiosior secutus et oedema pedum, ambitum insignem adeptum, haud mediocriter, quamvis per breve modo tempus, diminutum est. Materies, tum vomitu eiecta, indolem obtulit spumosam, colorem fuscum, odorem putridum; ultimis vitae diebus aegrotus hocce fluidum non amlius vomitu, sed ructibus emoliri valuit. Antemetica, prius adhibita, quum aegro ne minimum quidem levamen inferrent, ad internum opii usum confugere coactus sum. Ructus ille peculiaris, cui singultus accessit, nullo pacto cöerceri potuit, tympanites in conspectum prodiit, et febris hectica, macies atque hydrops, quippe qui nunc etiam per hydrocelen sese manifestabat, summum gradum adepta sunt; tandem artuum frigore, facie hippocratica et excretionibus urinae alvique involuntariis exortis, aegrotus die vicesima octava m. Decembris anni millesimi octingentesimi vicesimi tertii vitam miserrimam exspiravit.

Visum repertum.

Integumentis abdominis peritoneoque dissectis magna copia aquae subfuscae foetentis e ventris cavo profluxit; omentum maius ac minus adipe destituta, intestina pallida, aëre valde sufflata, materiem fuscam putridamque continuerunt, ceteroquin a norma non recesserunt, splenis color pallidior, interna substantia laxior; ventriculus duritiem exhibuit, hepar uno loco induratum erat. Quo melius haec viscera indagare possem, e ventris cavo exemi, quo facto haec sese obtulerunt: hepar, uno loco excepto, ad normam respondebat; inter lobulum Spigelii nempe et curvaturam minorem ventriculi, iuxta ligamentum gastrohepaticum, tumor lardosus, nucis iuglandis magnitudinem adaequans, reperiebatur. Ventriculi ambitus admodum contractus, paries eius posterior, pollicis crassitiem nactus, prorsus induratus, cardia et pylorus, nec non finis extremus curvaturae maioris et paries ventriculi anterior scirrhi expertes, curvatura minor autem hoc vitio penitus subacta erat. Ventriculi incisi cavitas perexigua multoque ichore fusco, foetido adimpleta apparebat; in pariete posteriori scirrhoso ulcus carcinomatosum, cuius diameter quadratus duos tresve pollices patebat, marginibus reflexis instructum, cernebatur, cuius multa ostia, pressione levi adhibita, multum ichoris reddiderunt.

Explicatio Tabularum.

Tab. I.

a. Tumor lardosus.
b. Lobus hepatis sinister.
c. Lobus hepatis dexter.
d. Pars lobuli Spigelii.
e. Initium duodeni.
f. Saccus coecus ventriculi.
g. Curvatura ventriculi maior.
h. Curvatura ventriculi minor.
i. Ligamentum gastro-hepaticum.
k. Scirrhus.

Tab. II.

a. Pars reflexa parietis anterioris ventriculi.
b. Curvatura ventriculi maior.
c. Curvatura ventriculi minor.
e. Cancer apertus.
f. Paries posterior ventriculi scirrhosus.
g. Pars duodeni.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego, Georgius Fridericus Henricus Klaproth, natus sum Gothae die XXVIII m. Decembris a. MDCCIC patre optimo Friderico Klaproth, illius urbis cive. Matrem mihi adhuc puero acerba abstulit mors. Anno MDCCCVIII gymnasium, quod in patria urbe Directore Ill. Döring floret, frequentavi, ibique per sex annos ad literas incubui. Deinde gravissimis occupatus morbis scholam hanc celeberrimam relinquere valetudinisque restituendae causa in tempus aliquod rus me conferre coactus sum. Sanitate iterum firmata in patriam redii urbem atque privata usus sum institutione. Anno MDCCCXIX Berolinum petii et Rectore Magnifico Weiss die XXI m. Aprilis in numerum civium academicorum receptus et ab Ill. Berends, facultatis medicae tunc temporis Decano maxime spectabili, studiosis artis medicae adscriptus, hisce interfui lectionibus: Cel. Stiedenroth de logice, Ill.

Link de botanice et historia naturali, Ill. Hermbstaedt de chemia, Cel. Erman de electricitate et magnetismo, Cel. Turte de physice et pharmacia, Ill. Rudolphi de encyclopaedia et methodologia medica, anatomia universa, pathologica, comparata et organorum sensuum, nec non de physiologia, Ill. Knape de osteologia, splanchnologia et syndesmologia praeceptores mihi contigerunt. Artem corpora mortuorum rite dissecandi Ill. Rudolphi et Knape me docuerunt. Porro audivi disserentes: Ill. Koreff de physiologia, Cel. Boehr de pathologia generali, Ill. Horn de pathologia et therapia speciali, nec non de vesaniis et morbis syphiliticis, Cel. Osann de materia medica, fontibus medicatis et morbis opificum, Cel. F. Hufeland de semiotice, therapia generali et speciali, Perill. W. Hufeland de diaetetice et macrobiotice, semiotice, therapia tam generali quam speciali, neurosibus, morbis infantum ac mulierum, Ill. Rust de chirurgia eundemque et Cel. Kluge de akiurgia, Ill. de Graefe de akiurgia et ophthalmologia, Cel. Jüngken de akiurgia et akologia, Cel. Wagner de medicina forensi, Cel. Kluge de arte obstetricia, Beat. Berends de neurosibus et Celsi libris de medicina explicandis. Deinde institutum policlinicum, quod duce Perill. W. Hufeland et viris Cel. Osann et Busse summo honore viget, per quadriennium frequentavi. Praeterea exercitationibus clinicis viro-

rum Ill. Berends, Neumann, Rust, de Graefe interfui.

Oblata hac occasione omnibus his praeceptoribus optime et multimode de me meritis, non ut solenni consuetudini satisfaciam, sed ut animum expromam, maximas ago gratias, quos inter praecipue Perill. W. Hufeland, fautori, summa pietate venerando, ob magna et multa, quae in me contulit, beneficia, sanctissimorum officiorum religione me non possum non obstrictum profiteri.

Tentamine nec non examine rigoroso peractis, Gratiosam Facultatem Medicam, dissertatione rite defensa, summos in utraque medicina honores in me collaturam esse, confido.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Omne exanthema est crisis.

II.

Sphacelus fere nunquam amputationem indicat.

III.

In atrophia infantum vasa lymphatica revera obstruuntur.

IV.

Arteriotomia in quibusdam morbis venae sectioni praeferenda.

V.

In curandis morbis non opus est remediis pharmaceuticis.

Tab: I.



L. Stoffen lith.